



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 10. Infidelis, inconstans. Fig. & Symbola. Exempla infidelium amicorum, & textus Ex Vet. Ex Novo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

§. IX.

Amicus fidelis permanet in adversis, & est constans.

Figure, Symbola.

Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies. Levit. 2. 13. Sale significatur æterna durabilitas. Eâ de causa olim hospitibus ante alios cibos apponebatur sal: ut scilicet significaretur, amicitia firmitas, ac perseverantia. Quare multi gentiles, teste Pierio in hierogl. falsi, ominosum habebant, si sal in mensam profundi contigisset: quasi per hoc amicitia everso portenderetur. Itâ Pierius. apud Cornelium hic. Sal oim in fœderibus adhibitus. Numer. 18. 19. 2. Paral. 13. 5. Levit. 2. 43. Nam sal cum præstet incorruptibilitatem, signum est incorruptæ amicitia, ut docent Lyranus, Abulensis, Oleaster. Deus reconcilians sibi genus humanum, mist in Mundum Apostolos tanquam sal, in Symbolum pacis, & fœderis incorrupti. Sylveira in Matth. 5.

Luna per se et in æternum, testis in cælo fidelis. Pl. 88. 38. Testis scilicet divinæ providentiæ & bonitatis. Cur hoc non potius præstet sol? Luna nocte deserto, pavidò, adest. ideo testis divinæ providentiæ: quia magis desertis magis adest. Sylveira Addit, in Matth. 5. Luna nocte, quâ te cuncta deserunt, lucem exhibet. Idem in Apoc. 3. 9. 3.

Resplenduit facies ejus sicut sol. Matth. 17. 2. Sol lætatur cum lætante; tristatur, & obscuratur, cum moriente JESU. Symbolum est veri amici, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Sylveira hic q. 9.

Tenebræ factæ sunt. Matth. 27. 45. In transfiguratione resplenduit facies ejus sicut sol; nunc verò in Passione obscuratus est sol. Sol consortem se Passionis in Calvaria præbuit, quia in Thaboris gloria Dominus illum socium admisit. Vera hæc amicitia; gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Idem hic

Heperus. Lem.: *Vespere, & manè.* *Omni tempore diligit, qui amicus est.* Prov. 17. 17. *Vespere, & manè, & meridie, narrabo, & annuntiabo.* Psal. 54. 18. Picinelli.

Exempla.

Tu es Christus Filius DEI vivi. Matth. 16. 16. Publicâ voce proficitur Petrus, Christum esse Filium DEI: unde à Domino laudatur: *tu es Petrus, &c.* Matth. 16. 18. Nathanael etiam fatetur Christum Filium Dei: *Rabbi, tu es Filius DEI.* Joan. 1. 49. & tamen à Domino non laudatur. Cur? S. Chrysol. hom. 55. in Matth. Nathanael id facit, quando odium Pharisæorum nondum erat exacuatum in Christum; at Petrus fatetur Filium DEI, quando in Christum seviebant. Sylveira hic.

Emerunt aromata. Marci 16. 1. Amici figura, Juvenis. Lemma: *Hyems, & æstas.* Tales amicae hæc sanctæ mulieres: amaverunt Christum in prosperis, & adversis; in præsentia,

& absentia; in vita, morte, post mortem. In vita continuo secuta sunt affectu, & obsequio: secuta, dum exivit bajulans crucem: & dum ipse vestigia sua Sanguine respergeret, illæ eadè respergebant lacrymis: adstabant crucifixo confixæ ei corde. Fortiores fuerunt Apostolis, qui eum deseruerunt in angustiis: adstabant deposito de cruce, tradito sepultura. Noctes quoque sequentes egerunt vigiles, ob amorem, & dolorem. Venerunt ad monumentum; ut ei, quem viventem dilexerunt, etiam mortuo studio humanitatis obsequantur. S. Gregorius: ideo, cum transfisset Sabbathum, nè quidem auroram expectant; sed noctem pro luce, desiderium pro duce, lunam pro sole, arripiunt, & valde manè veniunt ad monumentum. Nec tenebræ, nec militum custodia, nec lapis advolutus, retardat à sancto opere. Et propter hunc ferventem, & constantem, amorem merentur primæ angelorum visionem, annuntiationem resurrectionis. Jacobus Marchantius Dom. Paschatis.

Ecce quomodo amabat eum. Joan. 11. 36. Quando Lazarus Christo magis fuit in amoribus, nisi dum honori esset ipsis fororibus. *Ecce quomodo &c.* exclamabant Hebræi. Sed iniqui judices, cur dictis, *amabat?* ait S. Thom. Aqu. opuic. de dilig. Deo dicere debuissetis, *amat.* Crevit miseria, non decrevit amicitia.

Aliâ longè viâ amici Mundi incedunt: vix è fortunæ gremio excusos vos aspiciunt; cum signa dant receptui, & retrocedunt. Segneri ferm. 2. die Jovis post Cineres.

In cordibus nostris estis ad commorandum & convivendum. 2. Cor. 7. 3. q. d. ita vos amo; ut & pro vobis mori, & vivere, paratus sim. *Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Joan. 11. 16. Cornelius hic.

Charitas non potest comparari; dilectio pretium non habet. Amicitia, quæ desinere potest, vera nunquam fuit. S. Hier. ep. 41. ad Ruffinum.

§. X.

Amicus infidelis, inconstans.

Figure, Symbola.

Est amicus socius mense &c. Eccli. 6. 10. Mercurius auri amicissimus, semper illi inhaeret: cum tamen in fornacem immittitur, mox fugit, hoc est, non permanebit in die tribulationis. Vere prope flumen libenter pueri, puellæque, deambulant; floribus enim abundant: at hyeme deseritur. Octavianus de Tuso hic.

Aqua Nemrim deserta erunt. Il. 15. 16. At cur? *quia aruit herba, desecit germen, viror omnis interit.* Nemrim commutationem, seu amaritudinem, significat. Commutantur enim amici: & qui dulces erant secundâ fortunâ, ingruente tempestate in amaritudinem convertuntur. Octavianus de Tuso in Eccl. 6. 10.

Uidemus stellam ejus. Matth. 2. 2. Unde cognoscunt, esse stellam Dei? quia sole fulgente radiabat. Sed unde habuit tantam vim? Erat peculiaris Domini stella. Et licet aliae stellæ diei luce obscurerentur, & non appareant; tamen hæc stella, cum sit Domini stellâ, & habeat

habeat illius favorem; tota nitet, & fulget. Sylveira hic.

Mali amici sunt velut torrentes; qui hybernò tempore, cum nulla necessitas aquarum urget, inundant; vernò autem tempore, quando aqua maximè necessaria est, nihil in eis, nisi durissimos lapides, reperies. Postquam S. Tobias visum recepit, & pristinae sanitati restitutus est, ait sacer textus: *venerunt consobrini Tobiae congratulantes ei de omnibus bonis &c. c. 11. 20. & per septem dies epulantes omnes cum gaudio magno gavisi sunt.* Non venerunt ad eum in adversa, sed prospera, fortuna. Diez. Amicitia.

Sicut de die, quis quisque sit? cognoscitur, nocte verò minimè: ita etiam in prosperitatis die omnibus noti sumus, omnes nos aestimant, honorant: nocte autem adversitatis ut ignoti spernimur. Idem in festo SS. Philippi, & Jacobi.

Amicorum infidelium Exempla, & textus.

Ex Veteri.

Retor datus est inter epulas. Gen. 40. 20. Proletà sententià contra principem pistorum, nullus aulicus, nullus amicus, apud regem interposuit. Ludovicus Alvarez Illustr. 145.

Quò ascendente irrunt cum eo omnes senes, &c. Gen. 50. 7. Non quia Jacobi filium, sed quia præcipuum Ministrum Pharaonis comitabantur. Cadaver Jacobi comitantur Magistrates: & tamen cum postea efferrentur ossa Josephi, nullus Ægyptius comitatus: quia perit Spes lucri. Idem Illustr. 350.

Omnis Israel, qui stabat per pyrum, fugit ad clamorem percussitum, dicens: ne forte & nos terra deglutiat. Numer. 16. 34. Cum sibi viderentur Core, Dathan, & Abiron, Moysem ducatum affectare, in defensionem, & immunitatem, populi conjurant. Ecce tibi supplicium adest terra dehiscens absorbet eos; quid tunc familiares? quid propinqui? an miseris auxiliari student? nec unus. *Omnis Israel &c.* Baeza t. 1. l. 5. c. 8. conc. 5.

Achis ophel, quasi quis consuleret Deum. 2. Reg. 16. 23. erat in senatu Davidis. Sed, cum David ægrotaret, Absolone in patrem rebellis, solem orientem adorat officiosè; deinde suam præstat operam, ut regem premat. 2. Reg. 17. 1. *persequar David hac nocte.* Velloso in Judith. Parænet.

Miseremini mei saltem vos amici mei. Job. 19. 21. Non quasi abjecta ista vox, sed quasi censoria: nam cum injustè argueretur ab amicis, respondit, *miseremini, &c.* hoc est, misericordiam debetis facere: opprimitis autem vos, & impugnat hominem; cujus ærumnis compati pro amicitia vos oportebat. S. Ambros. offic. 3. c. 16.

Convocavit ad se amicos. Esth. 5. 10. Aman, cum esset intimus regis, multos habebat amicos. Sed, cum rex in eum irascitur, nullus est, qui pro eo verbum loquatur. Sed Eu-

nuchus ostendit lignum, in quo suspendatur. c. 7. 9. Sylveira in Luc. 16. q. 8.

Occasiones quarit, qui vult recedere a amico. Prov. 18. 1. Quòd malus homo solvo amicitiam, non est ratio; pro ratione voluntas & voluptas, est. Causatur injuriam, nè videatur temerè amicitiam renuntiare. Velloso in Judith Disq. 6. Parænet. 2.

Aperi mihi soror mea quia caput meum plenum est rore. Cant. 5. 2. At illa excusat se: *expoliavi me tunicà meà.* v. 3. Per noctem S. Paulinus ep. 5. ad Sever. intelligit noctem Passionis Domini. Et Rupertus per guttas noctium, blasphemias, & contumelias, Judæorum. Quas cum anima audit, statim se claudit, ut eas declinet, & evadat. At cum de dilecto audiantur: *caput ejus aurum optimum.* v. 11. statim quaerunt: *quò abiit dilectus tuus? & quæremus eum.* v. 17. Sylveira in Matth. 13. q. 2.

Una hora tecum permanebit. Eccl. 14. 14. *Amicus fidelis medicamentum vitæ.* Eccl. 6. 16. Eò egemus aëri, non fani. Qui ergo ægrum amicum deserit; jam se pharmacum esse negat. Octavianus hic.

Vidimus eum; & non erat aspectus. Unusquisque in viam suam declinavit. Is. 53. 2. 6. In gloria habet socios; in Passione eum omnes declinant. Sylveira cap. 10. in Matth. 18.

Non est, qui consoletur eam ex omnibus charis ejus; omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici. Thren. 1. 2.

Et nemo auxiliabitur ei. Dan. 11. 45. Iustum sanè supplicium insensati hominis, qui spem suam in vanissimis creaturis ponebat. Erit, erit, illud tempus, quando homo, quem adorat Mundus, in ejus obsequium omnes creaturæ voluntariè æmulatione conspirant; mox ubi vel maximè egens auxilio, ab omnibus deseratur. Excluse Virgines fatuæ pulsabant ad ostium prudentium, & frustra clamabant, nihil, quæ intraverant, respondentibus, nedum de infelicitate earum condolentibus. Cur ita? nonne illis notæ? nonne paulò antè familiariter convivebant? Ita est, ait S. Chrys. in Pf. 40. notæ erant virgines Virginibus; sed nihil eas juvit ea familiaritas. Vix aliud in vita humana communius; quam ab iis, cum affligimur, cum egemus; deserit: qui nostrà cum egebant ope, nos comitabantur. Hoc maximè timebat David: *ne quis torapiat ut leo animam meam; dum non est, qui redimat, neque qui salvum faciat.* Pf. 7. 3. Baeza t. 1. l. 5. c. 8. conc. 5.

Ex Novo, & aliis.

Quid faciam? Luc. 16. 3. Quare villicus in consilium non vocat amicos, sed tantum secum loquitur? Respondet S. Chrysol. serm. 125. quaerit intrà se consilium, qui foris, unde sibi jam succurreret non habebat. Quia, licet antè multos habebat amicos; cum tamen Dominus ejus iratà facie in eum se exhibuisset; omnes sibi experiebatur adversarios ab omnibus desertus. Sylveira in Luc. 16.

Voluit deserit, voluit prodi, voluit ab Apostolo suo tradi: ut tu, si à socio desertus, si à socio pro-

proditur fueris, moderatè feras; tuum errasse iudicium, perisse beneficium. S. Ambros. in Luc 6.

In pœnosa hebdomada vias sæpe iteravit Iesus à Bethania in Jerusalem; nec in tanta civitate ipsam de nocte aliquando legimus hospitatum: velut non habuisset amicum, qui eum amoris gratià invitaret. Et non inquirens, nec requisitus est: pauper enim fuit à juventute. Ad altitudinem admirationis subvehit mentes; quòd in civitate regia, Sacerdotali, nèque etiam in Scribis, & Phariseis, in cultoribus templi, & Sacerdotibus, seu Pontificibus, habebat dignum in veritate amicum. Sim. Cass. l. 13. c. 1.

§. II.

Amici quomodo comparandi, & conservandi.

Demas me reliquit, diligens hoc sæculum. 2. Tim. 4. 9. id est, malens otiosi, molliter quiescere, & deliciarì in Sæculo; quàm cum Paulo periclitari pro Christo. S. Chrysostr. necesse, inquit, erat, ut diligens Sæculi voluptates, derelinqueret eum, qui eas non amabat. Cornelius hic.

Si placent animæ, in Deo amentur: quia & ipsæ mutabiles sunt; & in illo fixæ stabiliantur: alioquin irent, & perirent. In illo ergo amentur, & rape ad eum tecum, quas potes; & dic: hunc amemus: ipse fecit hæc, & non est longè &c. S. August. Confess. l. 4. c. 10.

S. Chrysostr. hom. 61. in Matth. 18. rationem reddens, cur aliquorum amicitia facile dissolvantur: si spiritualis, ait, esset radix, nulla res secularis eam evelleret. Ea certè charitas, quæ Christi causâ fundatur, firma, stabilis, atque invicta, est; nec ullâ re conquassatur: non obreclatione, non periculis, non morte, non aliâ re temporalì. Et infra: omnia, quæ sæculares amicitias tollunt, spiritalem confirmant amorem magis, atque stabiliant.

Nihil sic facit amicum, ut lingua gratitudinis studiola, os bene loqui solens, anima sine saltu, contemptus variæ gloriæ, contemptus honoris. Idem hom. 40. in Acta Apost.

Acquire tibi dulcia labia, & habebis tibi omnes amicos. S. Isaac l. 1. de contemptu Mundi c. 13. Cum amicis omnia tractanda sunt; sed prius de ipsis. S. Gregor. Magn. l. 1. ep. 33.

§. XII.

*Amicitia cum quibus ineunda, quorum fugienda.**Ex Veteri, & Novo.*

Funiculus triplex. Ecclæ 4. 12. significat perfectam amicitiam inter paucos; puta inter duos, vel tres, consistere. Hi enim imitantur Sanctissimam Trinitatem, in qua trium personarum summa est, & unio, & concordia; quæ inter plures, solet languescere, & evanescere. Ad hoc significandum à Poetis finguntur tres Gratia: quòd tribus nexibus videatur coalescere, & conservari, amicitia. Cornelius hic.

Discede ab iniquo, & deficient mala ab te. Ecclæ 7. 2. Amicus est velut sanguis in corpore, qui vitam continuè comitatur. Is, si bonus est, vitam prorogat, & conservat, juxta illud Ecclæ 6. 16. *amicus fidelis, medicamentum vite, & immortalitatis.* At si inficiatur, & malus sit; morbos affert; & animæ, peccata inducens, exitio est. Octavianus de Tuso hic.

Vinum novum amicus novus. Ecclæ 9. 15. Sapidum enim in ore, bullit in ventre, fallit in capite, latet turbulentum in fæce. S. Cyrillus Apolog. l. 1. mor. c. 19.

Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. Ecclæ 13. 2. Multi ambiunt aulas magnatum, ut eorum familiaritate honorati sint, & dignitates, ac lucra, capiant. Verùm, Siracides hic sapienter id ipsum dissuadet. Ubi enim sunt impares, superior vult dominari inferiori; illique multa imperat, quæ inferior præ metu, & pudore, recusare non audet: quare potius servus est, quàm amicus. Cornelius hic.

Si oculus tuus scandalizet te &c. Matth. 5. 29. Etsi aliquem tantum diligas, ut eò oculi utaris vice: aut ita tibi aliquem utilem esse putes; ut eum dexteræ manûs ducas locò; & hi tamen animæ tuæ fortassis incommodent: etiam istos à te abscinde. Et diligentius vim ipsam sermonis examina: non enim dixit, à talium societate discede; sed maximam separationem indicens, *erue*, inquit, & *projice.* S. Chrysostr. hom. 17. hic. Non incongruè dexter oculus potest accipi dilectus amicus, & minister in divinis operibus, & in rebus divinis consiliarius: cui non est parcendum, nè obiciatur; si nos vult scandalizare. V. Beda hic.

Ex Patribus, & aliis.

Esto amicus cunctis, intimus paucis, fidelissimus universis. S. Cyrillus Apolog. l. 1. mor. c. 19.

Vulpes senex, reatûs conscia, cum poenitentia causâ peregrinari vellet; famâ id vulgante, varia animalia societatem offerebant: carnis; sed, quia latratu, & morfu, injuriam provocat, rejectus ursus propter furorem; leo propter audaciam, pavo ob superbiam; lupus ob furtâ; porcus ob sorditatem; asinus, quòd sine ratione clamet, & lapis fortè se proderet. His rejectis, assumpsit pantherem, cujus os redolet; agnûm mitem, leporem pusillanimum, erinaceum cutis spinosæ, arminium fordes vitantem, formicamque prudentem. Corvus quarrens, quæ esset hæc caterva? cui illa: electus comitatus prudentis. Idem ibidem c. 24.

Nunquam volo alicui esse in amore conjunctus, qui à divina fuerit societate divisus. Petrus Dam. l. 4. ep. 4. ad Ep. Auximanum.

Impius est, qui animæ suæ pro suis parentibus est crudelis: majorémque temeritatem hac nemo habet; quàm ut animam suam ponat ita periculo se quis pro amicis suis. Petrus Blef. ep. 11. ad Clericum, ingressum religionis amore amicorum retardantem.

Non